P. Schneider

Diss. Rostock 1871

DE

ELOCUTIONE HESIODEA

COMMENTATIO.

PARS PRIOR.

SCRIPSIT

PAULUS SCHNEIDER.

EINE VON DER PHILOSOPHISCHEN FACULTÄT ZU ROSTOCK
GENEHMIGTE PROMOTIONSSCHRIFT.

BEROLINI MDCCCLXXI.

TYPIS EXPRESSIT C. FEICHT.

PATRI DILECTISSIMO

BERNARDINO SCHNEIDERO

SACRORUM APUD ELSTERBERGENSES

ANTISTITI PRIMARIO

PIE

D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Carminum quae sub Hesiodi nomine circumferuntur cum Homericis comparationem sicut plurimum valere in universa quae est de poëta Ascraeo disquisitione dudum a viris doctis perspectum est, ita sermonis quae sit inter utrumque et similitudo et diversitas haud parvi interest examinare. Ac similitudo quidem quoniam in hoc genere tanta est, ut unam fere eandemque agnoscas in utroque dialectum, vocabulorum electionem, structuram orationis et colorem: effectum est ut diversi quod extat ratio plerumque nulla habita sit; immo fuerunt etiam qui si quid a sermone Homerico videbant alienum esse, idem ab Hesiodo abhorrere ad illiusque normam sive interpretandum sive etiam emendandum esse opinarentur. Haec igitur siquidem est quaedam inter utrumque discrepantia quam late pateat quibusque finibus contineatur inquirendi nuper demum initium factum est laudabili opera quam collocavit Iosephus Förstemannus v. d. in adumbrandis »dialecti Hesiodeae« lineamentis (Halis 1863). Tetigit eundem hunc locum etiam Ahrensius vir harum rerum intellegentissimus in commentatione de dialectorum in lyricis Graecis mixtione inserta actis conventus XIII. philologorum Germanorum Gotting. 1853 p. 73—75. Reliqua quae huc spectant cum studiis hominum doctorum prope deserta esse animadvertissem, ipse me ad eandem hanc disputandi materiem sic contuli, ut de elocutione Hesiodea hac scriptione disserendi periculum fecerim.

Ac fundamenta huius disquisitionis prima posuit Thierschius in dissert. de carm. Hesiod. ins. Memor. Acad. Mon. 1813 p. 9 not. 5. Verum cum ipse vir summus, a quo subtiliorem horum carminum notitiam fere omnem profectam esse dicas, aliis viam monstravisse satis habuit, tum reliqui qui unquam in hoc genere elaboraverunt (cf. Isler. quaest. Hes. spec. p. 25 et 26 atque ex interpretibus imprimis Ranke ad Scut. Herc. p. 347 sq.) non nisi exempla quaedam subito arrepta proposuerunt. Petersenius autem quod in diss. de orig. et aet. Theog. Hes. ind. lect. Hamb. 1862 p. 24 plerumque additicios esse censet versus in quibuscunque praeter aeolicas formas etiam vocabula insint ab Homero aliena: in hoc vereor ne fallatur vir mea laude superior. Augeas numerum illorum versuum, si addas eos in quibus aut vocabuli prisci nova significatio aut syntacticum aliquid aut prosodicum metricumve offendit: quid fit? Evanescit Hesiodus. Neque magis Islero possum assentiri quidquid in hoc genere inter *Homerum* et *Hesiodum* diversitatis intercedit omne ab intervallo loci repetenti (l. l. p. 29) eosque castiganti qui indagaverint in Hes. vocabula ab Hom. aliena, unde hoc illum iuniorem esse colligant. At non solum vocabula istius modi inveniuntur satis multa, sed omnis fere haec de elocutione Hes. disputatio talis est quae simul pertineat ad demonstrandam recentiorem Hesiodi aetatem. Quamquam hunc non voluimus nostrae operae fructum consiliumque esse. Nimirum res parum obscura est et hoc linguae testimonio vix indigens, quippe quae documentis ex ipsa rerum morumque mutatione ductis satis constet. Nobis quid elocutio Hesiodea novi exhibeat investigantibus agendum illud potius visum est, ut si qua possemus afferremus aliquantulum

ad scientiam quae est de pristina linguae Graecae condicione eiusque progressibus tempore posteriore effectis, disciplinam artis grammaticae etiam nunc modo coeptam coli. Etenim omnis linguae quoniam mutationem constat esse continuam ita, ut unius eiusdemque diversa sit diversis temporibus conformatio, illa per literarum saecula quemadmodum gradatim succedat vel maximi refert observare. Quod si quid inter Hom. et Hes. interest intervalli, quod quantum sit ignoramus, comparere hoc in sermone Hesiodeo manifestum est. Atqui illud nobis obtigit difficultatis quod non in prosae orationis scriptore elaboramus hanc linguae formam qualis quoque tempore est fere integram reddenti, verum in poëta cuius non solum in compositione verborum universaque orationis structura multo maior cernitur licentia, sed spectat etiam ad singulorum vocabulorum electionem et usum proprium et inventionem. Et augetur haec difficultas in poëta epico ut non fortuito vocabula elegenti coniungentique, sed adstricto certis eisdemque ubique recurrentibus dicendi formulis et locutionibus. Tametsi hae ipsae quoniam non omni tempore eaedem fuere ipsiusque sermonis epici quem vocamus historiam quandam esse dicas, in hac quem locum Hesiodus obtineat haud secus explorare operae pretium est, atque interest eo magis quod hinc spes est aliquid lucis posse affundi ad quaestionem difficilem quae est de cognatione sermonis Homerici Hesiodeique. Quare in principio hanc viam ingressus, ut bipartita omni disputatione primum ea quae sunt in elocutione Hesiodea quae ad sermonem vulgarem tum quae ad poëticum pertinent in disquisitionem vocare conarer, mox ampliorem rem esse quam quae integra tali scriptiuncula comprehendatur intellexi; unde altero hoc ge-

nere in angustius appendicis spatium reiecto uberius tantum de priore disserere constitui. Universae autem commentationis cum duas has partes esse voluerim, unam quae de vocabulis alteram quae de syntaxi agat, illam iam in publicum mitto, de syntaxi alias spero mihi occasionem disputandi futuram esse.

Iam vero totum hoc genus inquisitionis quod in comparandis inter se carminibus Homericis et Hesiodeis versatur, illa ipsa quam diversa utantur condicione atque etiam elocutione quantopere inter se distent quae nomen Homeri prae se ferunt quis est hodie quin concedat? Quid? quod etiamsi secretis reliquis quae Homero assignantur solas ut fieri solet Iliadis et Odysseae rhapsodias sermonis Homerici normam esse volumus, inter ipsam hanc utramque epopoeam aliquantulum interesse ita, ut non solum in universa orationis conformatione quaedam discrepantia conspicua sit, sed inveniantur etiam vocabula vocabulorumque significationes in altera quae in altera non inveniuntur frustra in controversiam a quibusdam vocatur[1]. Non igitur fortuito illud accidisse putandum erit quod nonnulla quae nondum in Iliade leguntur leguntur autem in Odyssea, eadem cum in Hesiodo redeunt tum frequentius comparent in poëtis elegiacis iambicisque et qui his succedunt melicis. Neque magis mirandum est quod etiam maior est in hoc genere numerus eorum quae Hesiodus partim cum hymnis qui

---

[1]) cf. imprimis Friedlaenderi de vocabulis Homericis quae in alterutro carmine non inveniuntur dissertationes pars I—III Regimont. 1858 (I) et 1859 (II. III). Qui cum plurimas quae huc spectant discrepantias ab argumenti diversitate derivandas, quae restent casui esse tribuendas affirmet, ipse tamen in quibusdam se haerere fatetur III, 15.

vocantur Homerici partim cum illis ipsius Iliadis et Odysseae particulis communia habet quas reliquis recentius natas esse ars critica distincte docuit. Quam ob rem hac quoque a parte non prorsus inutilem fore hanc dissertationem non despero.

Denique ne illud reticeam quod quodammodo refragrari videtur omni huic disceptationi, confitendum est ipsorum carminum Hesiodeorum condicionem talem esse, ut haec num merito omnia uni poëtae assignentur valde ambiguum sit. Nam et antiquorum notum est iudicium Boeotorum (cf. Pausan. IX, 31, 4) et recens Theogoniae editor praeclarissimus F. G. Welcker (Elberfeld 1865) quamtum hoc carmen distet a ratione alterius quod inscribitur Opera et Dies recte perstrinxit praef. p. 57. Immo longius progressa criticorum dubitatio non substitit in seiungendis inter sese singulis carminibus, verum haec ipsa quibus ex partibus constent quaerere iam ausa est. Sic de compositione Theogoniae varias et prope inter se oppositas sententias professi sunt Thierschius in diss. s. l. et Heynius vel qui nuper huius coniecturam accuratius excoluit disertissimeque defendit Schoemannus (cf. impr. huius opusc. acad. II p. 450 sq. et editionis Theogoniae Berolini 1868 in publicum missae praef. p. 8 sq.). Eodem nomine de Operibus et Diebus egregie meritus est Twestenius in commentatione critica de hoc Hesiodi carmine quae prodiit Kiliae 1815 (cf. p. 7 et p. 64 sq.). Nec minus in Scuto Herculis quin tres vel quator partes dignosci possint non iam controversia est inter viros dd.. De Theogonia autem quod alii sic iudicant, ut potius mutationibus additamentisque genuinam huius carminis formam contaminatam esse censeant, in hoc genere sicuti admiror Welckeri continentiam non amplius quatuordecim versus

damnantis, ita iusto longius evagatos video criticos eos qui divisionis strophicae quam pristinam fuisse in Theogonia acute suspicantur illius restituendae periculum fecerunt. Atque item in Operibus et D. duo corruptionis genera sibi deprehendisse visus est Lehrsius quaest. epic. p. 212 sq. unum quod in duplice eiusdem loci recensione, alterum quod in interpolatione cernitur. In hac igitur virorum dd. dissensione ne quis non modo sermonis sed ipsius poësis Hesiodeae nomen ac memoriam deleri et proinde utilitatem huius dissertationis omnem collabi existimet: provoco ad ipsorum vv. dd. auctoritatem qui principes criticam hanc rationem ad Hesiodum transferendam esse pronunciaverunt. Nam Thierschius quidem quomodo sentiret ipse suo exemplo demonstravit[1]). Ac Twestenius dum queritur in comm. s. l. p. 7 »sibi veri cognoscendi (sc. in diiudicandis singulis carminibus) eum interclusum esse aditum qui orationis diversitate saepe aperitur. Quae«, inquit, »quanta esse potest in iis carminibus quae aut uni auctori tribuenda sunt sive ἀοιδῷ sive ἀοιδῶν scholae aut certe non ita magnis temporum intervallis disiunctam habuerunt originem«. Nos editione Goettlingii altera (Lips. 1843) pro fundamento in hac scriptione usi etsi non plane praetermisimus spuria attamen cautionem summam in eo adhibendam esse arbitrati sumus, ut non aequalem omnibus locis auctoritatem tribueremus. Nimirum hanc et licentiam et necessitatem huius disquisitionis esse nobis persuasum est, ut neque pendeat ea ab opinionum huc illuc discedentium fluctuatione neque ponderis tantum habeat, cuius ad normam vel ipsum auctoris textum dirigendum esse confidamus.

1) cf. quae supra de eo diximus p. 6.

PARS PRIOR.

Primo loco quoniam de vocabulis agendum est, in his quid aetas Hesiodea novi protulerit quaerimus ita, ut et vocabula prorsus ab Homero aliena et persequamur ea quae dumtaxat usu ac significatione ab eo discrepant. Nam duplex haec cernitur quod ad vocabula attinet in omni lingua mutatio, quod partim obsolescunt quaedam alia emergunt partim manent illa quidem sedtamen notionem usumque mutant.

CAPUT I.

DE VOCABULIS OMNINO NOVIS.

Atque in hoc genere cum non nisi ea in disquisitionem vocare nobis in animo sit, quae quod in Homero non inveniuntur inde ab eius sermone aliena esse colligendum est, caveamus illud necesse est ne orationis diversitati temere assignemus quod sive ab argumenti differentia sive ab electione poëtae pendet. Quare ut recte se habeat disputatio nostra, non arripiendum nobis est quodvis vocabulum fortuito ab Homero exulans, sed quaerendum ante omnia, locusne omnino fuerit apud Homerum in quo necessario requiratur. In quo hoc nobis contigit opportunum, quod in plerisque vocabulis quae nova apparent in Hesiodo alia eiusdem vel similis notionis nomina Homerica demonstari possunt, quae quemadmodum huic poëtae maxime frequentantur, sic rarius

in sermone posteriore occurrunt ita quidem, ut exquisitiorem quendam ac potissimum poëticum usum eis contineri perspicuum sit. Nimirum ipsa locum cedere coguntur his iunioris originis vocabulis primum parce et tanquam verecunde emergentibus tum sollemnius recurrentibus. Quod nolim sic interpreteris quasi synonymae possint esse duae quaedam inter se diversae voces quae quidem in una eademque lingua extent. Neque enim fit unquam ut integer notionum complexus altera obsolescente subito ad alterius possessionem transeat; immo dividitur plerumque hereditas ac ne una quidem significatio sic ab altero vocabulo suscipitur, ut non resideat aliquid pristinae discrepantiae. Haec autem ut paullatim obliteretur donec ne ab eis quidem sentiatur qui viva utuntur lingua, usus efficit summus solusque constans in perpetua migratione vocabulorum dictator.

Aditum muniant quaedam non nisi in eo ab Homero differentia quod forma prisca sive epica exuta induunt vulgarem. Sic forma contracta pro soluta quam constanter sermo Homericus prae se fert comparet in his: λουτρόν Op. 753 cum Homerus ubique habeat λοετρόν; cf. qui cum hoc loco Hesiodeo congruunt auctorem hymni Cer. 50 et Pindarum Ol. XII, 27. — αὔξω (med.) Th. 493 pro antiqua eiusdem verbi forma ἀέξω quam etiam Hesiodus saepius (decies) usurpat; cf. Mimnerm. 2, 2. Solon. 11, 3. Theogn. 362 saep. [1]). — ἔαρ Op. 462 et 492 cum synicesi pronunciandum esse metrum indicat; cf. Mimnerm. 2, 2 [2]); forma ἦρ primum occurrit in hym. Cer. 455 et apud Alcm. 76, 3. Nec minus in his vulgaris pro epica conformatio primum apud Hesiodum ob-

---

[1]) Usus sum poëtarum lyricorum Graec. collectione Bergkiana tert. cur. recens. Lips. 1866.

[2]) Ergo sanus est locus Mimnermi ac tuenda codicum scriptura ἔαρος et αὔξεται contra Schneidewinum.

tinet: ἥσυχος Op. 119. Th. 763 non nisi metrica vocabuli ratione mutata pro Homerico (Φ 598) ἡσύχιος; cf. Theogn. 331. Anacr. 88. — μάρτυς Op. 371 pro ampliore vocabulo Hom. μάρτυρος; cf. schol. Hom. A ad H 76. Secutus est Hesiodum praeter auctorem hym. Merc. 36 et 372 primus Alcman 16 pag. I, 17 secundum emendationem Bergkii, tum Hippon. 51, 1. — κοινός Op. 723. Nam idem hoc est voc. atque ξυνός (sive κυνός) Homericum ductum illud ex praepositione ξύν; cf. Alcm. 25, 7. Theogn. 73 (ἀνακοίνεσθαι). Simonid. 144, 3. e. q. s.

Ut pergam ad reliqua quae in hunc numerum referri fas est, initium faciam a nominibus substantivis:

v. μέριμνα ignotum est Homero licet radix vocabuli μερ (cf. Curtius Grundz. d. Etym. I p. 294) apud eum appareat in adiectivo μέρμερος, unde derivatum est substantivum Hesiodeum μέρμηρα Th. 55. Atque notionem quidem non esse istius modi quae ab argumento carminum Homericorum abhorruerit vix est quod moneam; pro documento est v. κῆδος Homero perquam frequentatum. Quare non vereor ne quis casu factum esse sibi persuadeat quod v. μέριμνα nusquam in tam amplis carminibus legitur. Extat vero idem apud Hesiod. Op. 178; ubi quod in numero malorum quintae aetat a diis destinatorum poëta addit: Χαλεπὰς δὲ θεοὶ δώσουσι μερίμνας, hoc non dubium est quin sensu vix differat a formula Homerica κήδεα λυγρὰ (E 156 saepius) quae et ipsa apud Hesiod. Op. 49 et 95 legitur. Nam recentioris originis alterum v. esse etiam eo comprobatur quod et Hesiodus cum ter v. κῆδος habeat (praeter l. l. Th. 102) ipso non saepius quam semel usus est et reliqui poëtae antiquiores modum fere eundem secuti sunt. Inveni autem apud quos primos post Hesiodum vox legitur hos: hym. Merc. 44 et 160, Mimnerm. 1, 7. Sapph. 1-26. Theogn. 343, 766, 1153, 1323.

v. νόμος apud Homerum nondum in usu fuisse

observatum iam est ab antiquis grammaticis (cf. Hesych. s. v. νόμος) quin a principe eorum Aristarcho. Qui ut in interpretatione vocabulorum Homericorum insignem praestitit sollertiam, ita de hoc v. quomodo iudicaverit ex illo emergit quod traditur de eo in vita Plutarchi cf. Lehrs. de Arist. stud. Hom. p. 348: Ἀρίσταρχος δὲ ᾠήθη τὴν εὐνομίαν εἰρῆσθαι παρὰ τὸ εὖ νέμεσθαι. Legitur hoc compositum quod unum Homero commemorationem vocis νόμος inferre videtur semel ρ 487. Atque infert, ut dicam quod sentio, re vera. Et enim reicienda est derivatio [1]) ad quam refugit grammaticus longe praestantissimus pro tempore suo in errorem eo inductus quod falsam de compositione carminum Homericorum opinionem informatam habebat. Nobis igitur num iure ab Homero v. νόμος abiudicemus eo diligentius quaerentibus primum hoc constare visum est multiplicem eius usurpandi occasionem apud illum datam fuisse. Nam continetur eo ut notum est non solum significatus legis cuius mentio fit apud Homerum Α 238. Β 206 ι 112 π 403, sed simul notiones moris, usus, consuetudinis usitatae illae ut consentaneum est multo frequentius. Alterum illud animadvertendum esse iam Thierschius l. l. not. 5 sub c monuit esse in thesauro Home-

---

[1]) Isti enim compositioni etsi quod ad formam attinet nihil obici potest, attamen illud εὖ νέμεσθαι quid sibi velit difficile est dictu. Ut referatur ad verbum νέμεσθαι quod est pasci, dubito num per imaginem »bene pasci« apte dici queat pro »vitam bene transigere« vel »bene se gerere,« quod in formula inesse desideres. Neque magis hunc sensum extorqueas, si locutionem derives ab altera verbi significatione qua est »inter se partiri« ac per consequens »tenere, possidere.« Nam recentioris demum aevi is usus vel rectius abusus est quo idem absolute notat »domicilium habere.« Denique quominus ipsam partiendi notionem subesse velis accipiasque v. εὐνομία pro virtute bene vel aeque partiendi h. e. iustitia, cum ipsius loci Homerici tum reliquorum in quibus vox extat sententia obstat.

rico quoddam vocabulum quod hanc quasi lacunam explere ipsiusque v. νόμος sedem occupavisse videatur, dico v. θέμις (v. Dammium in Lexico Hom.). Atqui hoc ipsum apud Hesiodum quamvis non prorsus infrequens compareat, usu tamen multo astrictius est; neque enim dicitur nisi significatione iudicii (Op. 9. 221. Th. 85. 235) quam recentiore quoque tempore servavit atque in formula Atticis trita θέμις ἐστί (Op. 137. Th. 396. Sc. 22. 447.) Ceterum heres eius extitit v. νόμος, cuius non solum incohatus sed iam propemodum stabilitus est usus. Invenitur enim quatuor his locis: Th. 66 quod Musae dicuntur cantu celebrare πάντων τε νόμους καὶ ἤθεα κεδνά, in hoc si verba cum verbis comparas scriptura νομοὺς aliquantulum commendationis nanciscitur ex simili loco Homerico *Z* 511 = *O* 268 (ἤθεα καὶ νομὸν ἵππων). At ineptior haec translatio esset quam quae sano poëtae ingereretur; unde alteram scripturam praefero, de qua v. Goettl. Nihil ambigui est in reliquis locis. Th. 417 locutionem κατὰ νόμον prorsus idem valere atque Homericum ἣ θέμις ἐστὶ iam a Thierschio l. l. observatum est. Op. 276 significationem tenet, ut saepe fit, inter notionem legis et moris ancipitem. Op. 388 dictum est de praescripto quodam agriculturae. Lennepius autem quam frustra studeat ubique oxytonon νομὸς defendere, facile quisque intelleget qui contulerit illius commentarios ad l. l. Praeter simplex vocabulum etiam composita haec comparent apud nostrum poëtam: Εὐνομία Th. 902 in quo legis notionem inesse nomina Iustitiae et Pacis iuxta posita ostendunt. Nec minus quae sit vocis Δυςνομίη Th. 230 significatio nexus prodit. Denique huc pertinet adiectivum ἄνομος Th. 307; nam haec lectio aeque codicibus optimis ac sententia confirmatur. Post Hesiodum vero qui primi hoc vocabulo usi sunt hos inveni: auctorem hym. Ap. Del. 20 (v. Baumeist. p. 122) et Alcm. 61 (νόμοι = modi). Legis notionem expressam tenet apud Archil. 133 et Theogn.

54. 290. Ad v. εὐνομία cf. Alcm. 55 et Sol. 4, 33 (ibid. v. δυςνομία); verbum νομίζω primus habet Theogn. 141. 279.

Postremo loco ut ad Homerum redeam, de versu Odysseae quomodo statuemus? Spuriumne arbitrabimur esse, in quo vel Aristarchus obelum prudenter retinuerit? Immo alia, si quid video, iudicii ratio ineunda est, ea quidem quam ingeniose praeivit A. Kirchhoffius in libro qui inscribitur: Die homerische Odysse und ihre Entstehung. Berlin 1859. Continetur autem hic locus una (No. 25 cf. praef. p. XII) istarum particularum quas ab ipso interpolatore (Bearbeiter) profectas esse v. d. demonstravit praef. p. VII sq.

v. ὀ ρ γ ή Homerus nondum novit qui etiam verbo ὀρέγεσθαι non nisi de actionibus aliquem corporis motum significantibus uti consuevit. Hinc postquam is usus derivatus est, ut idem ad animum translatum notet, »appetere, studere«, effectum est ut obsolescente v. μένος quod in lingua vetusta hac vice fungitur (cf. imprimis *N* 634) ad significandum id quod est »intentio animi, voluntas, indoles« novum v. ὀργή usu recipiatur. Haec enim pristina vocis significatio est eaque quam locus Hesiodeus Op. 304 aperte arguit. Dicitur illic piger εἴκελος ὀργὴν esse fucis qui apium laborem consumant edendo. Atque sanam hanc esse lectionem neque mutandam in ὁρμὴν locus simillimus comprobat qui extat apud Simonid. Amorg. 7, 11 ταύτῃ (sc. θαλάσσῃ) μάλιστ' ἔοικε τοιαύτη γυνὴ ὀργήν; cf. in eod. carm. v. 42 et Tyrt. 11, 8. Mox autem etiam magis huius v. usum invaluisse carmina Theognidis produnt (cf. e. g. 98. 214. 215. 312.). Irae significatus primam invenitur apud Sapph. 28, 1 et 72,2; (Ursin. em.) tum ap. Theogn. 1223 et 1301.

v. ὄ ρ θ ρ ο ς ab Homero alienum esse animadversum iam est a Schoemanno opusc. II p. 199 Adn. 77. Apud Homerum temporis matutini notio inest in v. ἠώς quod pariter pro universo tempore meridiem antecedenti (cf.

Aristarchum ad Θ 66 ap. Lehrs. 151) ac pro ea matutini parte usurpatur quae ad ipsum aurorae ortum vergit (cf. β 434)[1]). Atque eadem hac significatione dictum est illud Hesiodeum Op. 577 ὄρθρου ἀνιστάμενος κτλ. et idem v. latet in epitheto hirundini tributo ὀρθρογόη Op. 568, licet hoc loco non consentiant inter se codices partim hanc partim scripturam ὀρθογόη praebentes. Conferendus est hym. Merc. 98, post Ibycus 7 et Theogn. 863 (ὄρθιος).

v. σοφίη semel habet Homerus Ο 412, ceterum omnis stirps deest. Quod cum iure offendat in tali vocabulo, ne ille quidem locus a suspicione vacuus est. Extat enim in comparatione quam sero additam esse veri non absimile est (cf. Nitzsch. II, 215 et Friedländer Zwei hom. Wörterverzeichn. S. 783). Accedit quod non desunt in thesauro Homerico vocabula synonyma quibus sollemniter poëta utitur, praecipue verbum δαῆναι et quae ab eo derivata sunt, tum substantiva τέχνη et μῆτις. Apud Hesiodum et verbum σοφίζω legitur Op. 649 ita quidem ut pro participio σεσοφισμένος facile substituas Homericum δεδαὼς et substantivi σοφίη pluralis Fr. CXXXIII prorsus eodem sensu positus quo apud Homerum pluralis τέχναι. Atque his ipsis locis si quis parum confidat, is velim consideret hanc exemplorum copiam ex poëtis Hesiodum proxime secutis conquisitam: adiect. σοφὸς ap. Archil. 45. Alcm. 12, 1 et 25, 2[2]). Theogn. 502. 682. 902 saep., subst. σοφίη Sol. 13, 52. id. 27, 16. Erinn. 4, 2., verb. σοφίζομαι Theogn. 19.

v. ὕμνος non legitur apud Homerum nisi ϑ 429 quem locum aut sero additum aut interpolatum esse

---

1) Nam immerito hoc negat Nitzschius Erkl. Anmerk. zu Hom. Od. I, 127 verbum ἀνορούω γ 1 non ad ortum sed ad altiorem solis ambitum referens.

2) in quo licet corruptum sit quod codices habent παρὰ σοφοῖσιν, vel sic radix v. σοφὸς certa est sive Jacobsii sive Welckeri coniecturam probas.

critici consentiunt (cf. Nitzsch. II, 222. Friedländer. Zw. hom. Wört. 783. Kirchhoff. No. 7. praef. p. X.); verbum *ὑμνέω* omnino deest. Erret autem si quis causam in peculiari huius vocabuli usu sitam esse velit quem optime ex testimoniis antiquorum sic denifivit Baumeister in Prolegg. ad hym. Hom. p. 100, ut sit cantus in honorem dei institutus. Nam vulgaris haec vocis notio ut pristina fuerit, tantum abest ut antiquitus hoc nomen aeque ad omne cantuum genus pertinuisse ac fere nihil inter vv. *ὑμνέω* et *κλείω* interfuisse pro certo affirmari possit (cf. Nitzsch. ad *θ* 429). Cuius rei cum origo vocabuli veri simillime ducenda cum Doederlinio (Gloss. Hom. I, p. 113.) a verbo *ὑφαίνω* tum ipse eius usus antiquissimus documentum est. De loco Odysseae s. l. et de hym. Apoll. Pyth. 12 cf. Baumeister. l. l. Atque etiam Hesiodi tempore liberiorem istum usum valuisse perspicue ex duobus his locis intellegitur. Op. 662 quod ipse de se dicit poëta *Μοῦσαι γάρ μ' ἐδίδαξαν ἀθέσφατον ὕμνον ἀείδειν*, in hoc v. *ὕμνον* sive universe ad facultatem poëtae sive ad ipsum illud genus poësis refers quod in Operibus et Diebus cernitur nihil illius determinationis continere apparet. Alter legitur Th. 101, ubi utrumque et *κλεῖα προτέρων ἀνθρώπων* et *μάκαρας θεοὺς* cantu celebrare dicitur *ἀοιδὸς* per verb. *ὑμνεῖν*. Extat autem apud nostrum poëtam substantivum omnino ter Op. 657 et 662. Fr. CCXXVII, 2, verbum octies Op. 2. Th. 11. 33. 37. 48. 51. 70. 101. In hymnis Homericis quam frequenter utrumque inveniatur nemo est quin sciat. Ex reliquis satis est tantum antiquissima exempla adnotare: Terpand. 1, 4. 3, 2. Alcm. 36, 3. Stesich. 34, 2.

Ex numero nominum adiectivorum haec prae ceteris commemoratione digna sunt:

v. *θαυμάσιος* cuius stirpis Homerus duo haec vocabula novit *θαυμάζω* et *θαῦμα*, in locum adiectivi verbalis *ἀγητὸς* et formulae eadem vice fungentis *θαῦμα*

ἰδέσθαι succedere videtur. Quamquam ipsum tantum semel apud Hesiodum legitur Th. 584, et dictum est de artis operibus diademati insculptis quod Hephaestus fabricaverat ad ornandam mulieris effigiem, quo ipso loco v. 581 locutio *θαῦμα ἰδέσθαι* praemissa est. Cf. hym. Merc. 443. Archil. 76, 2 Theogn. 25. *θαυμαστὸς* primus habet Simon. A. 23, 2.

v. *περισσὸς* similiter atque adverb. *πρόσσω* per suffixum derivatum est a praepositione *περὶ* qua ipsa Homerus ad significandam insignis cuiusdam sive magnitudinis sive multitudinis notionem uti consuevit. Nam multo rarius invenitur adv. *περιώσιον*. Hesiodus et adiectivum *περισσὸς* habet Th. 399 et ab hoc ductum verbum *περισσεύω* Fr. CLXIX, 4. Cf. Alcman. 83[1]) Theogn. 769 et 1386.

vv. *πλούσιος* et *πλουτέω* utrumque Homerus ignorat praeter substantivum *πλοῦτος* potissimum adiectivo *ἀφνειὸς* usus. Invenitur apud Hesiodum adiectivum Op. 22, verbum Op. 313 neque hoc neque illud quidquam ab usu vulgari differentia. Cf. ad *πλούσιος* hym. Merc. 171. Theogn. 188. 625. saep., ad *πλουτέω* Sol. 4, 11 et 24, 1 Theogn. 146 saep.

v. *πονηρὸς* in Homero desiderari, licet ei et substantiv. *πόνος* et verb. *πονεῖν* satis usitatum sit, iam Thierschius animadvertit l. l. sub b. Et iure hoc mireris in notione Homero adeo trita (cf. vv. Hom. *ταλαπείριος πολύτλας* et sim.). Significat enim proprie et antiquitus eum qui laboribus obnoxius est, laboriosum. Atque sic apud Hesiodum quo primum loco v. comparet Fr. XCV, 3 Hercules dicitur *πονηρότατος*, quod sensu vocis *ἐπίπονος* sive *δυςτυχὴς* accipiendum esse Aspasius monuit ad

---

1) at hic quidem locus dubiae auctoritatis est, cum in v. *περισσὸν* notam veteris alicuius metrici ad sequens v. *αἴ* latere probabiliter coniecerit Bergkius.

Aristot. Eth. Nicom. III p. 43 r. Nec minus Solon in fr. 14 ita vocabulo usus est, ut inter se opponat vv. *μάκαρς* et *πονηρὸς*. Cf. praeterea Theogn. 274 (*κακῶν—πονηρότατον*) et Anacr. 21, 7.

Ex adverbiis maxime duo huc pertinent *ὅμως* et *καίπερ*. Atque illud quidem ab Homero alienum esse qui solum v. *ὁμῶς* noverit et Aristarchus videtur docuisse (cf. Lehrs. A. p. 156) et recentiores critici fere omnes assentiuntur (cf. praeter Lehrs. l. l. impr. Nitzsch. III, 305). Nam etsi sunt quidam loci apud Homerum qui huius usus speciem prae se ferre videntur, de his vide Lehrs. l. l. qui etiam illud acute perspexit esse ad diiudicandam hanc quaestionem summi momenti quod »pro attamen sermo Homericus v. *ἔμπης* ferat«; unde »concedi non posse, ut uno vel duobus in tam amplis carminibus locis *ὅμως* positum sit.« Iam vero apud Hesiodum Op. 20 ut paroxytonon *ὅμως* recte legi profiteamur tum codicum consensus tum adversativa adverbii sententia vel particulis *καὶ—περ* praemissis indicata movent. Cf. ex reliquis Theogn. 384. 442. 1029. et Anacr. 95.

Alterum huius generis adverbium *καίπερ* est. Nam Homerus tantum particulas *καὶ* et *πὲρ* inter se separatas novit excepto uno loco *η* 224 quem iunioris originis esse demonstrari potest (cf. Kirchhoff. No. 5. praef. p. IX.). Ac ne Hesiodi quidem locus quo coagmentatum vocabulum legitur Th. 533 *καίπερ χωόμενος παῦθη χόλου κτλ.* istiusmodi est quin aliquid offensionis habeat maxime ob asyndeton quo haec ipsa sententia antecedenti subicitur (cf. impr. Schoemannum diserte de hoc loco disputantem opusc. II p. 529 sq.). Post Hesiodum non inveni qui prius vulgari forma usus sit Theognide (v. 710. 816. 1061.). Nam ambigua est lectio in loco Archil. 63, 1.

Denique quod ad verba perventum est, notavimus iam *περισσεύω, πλουτέω, σοφίζω, ὑμνέω*. Reliqua haec sunt:

Verbum ζηλόω pariter ac substantivum ζῆλος apud Homerum deest. Extant vero quae eiusdem stirpis sunt in Odyssea duo haec adiectiva: unum ζηλήμονες ε 110; at norunt hoc loco scholia aliam lectionem δηλήμονες (cf. Nitzsch. II, 21) quae confirmari videtur loco Iliadis Ω 33. Alterum δύςζηλοι legitur η 307 in loco secundum Kirchhoffium non quidem exterminando, sed interpolatori assignando (No. 7. praef. X.). Atqui verbum quidem quod nusquam in carminibus Homericis comparet observatione maxime dignum est, cum et frequens sit in eis verborum μεγαίρω et ἀγαίομαι[1]) usus neque abhorreat ab Homero notio invidendi aemulandique. Ac peior ille vocabuli sensus non solum in adiectivis illis Homericis obtinet, sed etiam apud Hesiodum aperte praevalet. Nam substantivum quo primum loco legitur Op. 195, invidiam intellegendam esse epitheta δυςκέλαδος, κακόχαρτος, στυγερώπης addita manifestum reddunt. Et verbum quoque quod primum Op. 23 extat (ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων) magis se ad invidendi quam ad imitandi notionem applicare statuendum est propter sententiam continuo sequentem (cf. vv. κοτέει v. 25 et φθονέει v. 26). Item vero quin de hoc loco iudicandum sit Op. 312: εἰ δέ κεν ἐργάζῃ τάχα σε ζηλώσει ἀεργὸς πλουτεῦντα, non dubius haerebit qui cum universam antiquorum cogitandi agendique rationem tum acerbe nostri poëtae dicendi consuetudinem bene perspectam habeat. Praeterea cf. Archil. 24, 2, ubi ipsum verb. ἀγαίομαι iuxta positum est, et Sim. A. 1, 11 (ἄζηλος); substantivum poëticum ζηλοσύνη legitur in hym. Ap. Del. 100.

verbi λυπέω stirpem Homerus non novit praeterquam quod v. 243 Ithaca insula dicitur οὐδὲ λίην λυπρή, quod quidem adiectivum an commutandum sit cum λυγρὴ ambigi potest (cf. Friedländer l. l. p. 785). Sollemnia pro

---

1) cf. de hoc verbo Ameis. in append. ad Odyss. I, 49.

»maerere« verba Homerica sunt ἀχέω, ἀκαχίζομαι al., pro »molestiam inferre« ἀνιάω et ἀνιάζω. Atque hanc illa vetustiorem vocabuli potestatem fuisse ipse locus Hesiodeus quo primum extat Op. 401 aperte prodit. Hic enim cum frater fratrem admonet, ne nimis socordiae indulgeat, hoc ei portendit vicinos victum petenti bis et ter obtemperaturos esse, tum pergit: ἢν δ'ἔτι λυπῇς, χρῆμα μὲν οὐ πρήξεις κτλ. Reliquorum testimonia circumspicienti non occurrit mihi antiquius hoc Theognidis loco v. 593 perquam corrupto: μήτε κακοῖσι λυποῦ κτλ.[1]) Aeschylus verbum bis, nomen quinquies habet.

v. μέμφομαι qui factum sit ut nusquam apud Homerum, compareat, cui neque compositum ἐπιμέμφομαι (sensu indignandi) ignotum sit et prae ceteris frequentata notio reprehendendi (cf. verba ὄνομαι, νεικέω) difficile est dictu. Utut statues, primus quo verbum simplex legitur locus hic est Hesiodeus: Op. 186 μέμψονται δ'ἄρα τοὺς χαλεποῖς βάζοντες ἔπεσσι κτλ. sc. liberi parentes; nam de malis quintae aetatis moribus sermo est. Cf. Archil. 9, 2 (?) Mimnerm. 14, 5. Theogn. 797. 873.

v. πρηΰνω eiusque familia exulat ab Homero, cui quidem illius loco usitatum est verbum μειλίσσω. Alterum primum legitur apud Hesiodum Op. 798 de mitigandis animalibus et Th. 254 de mitigando undarum ventorumque furore. Cf. hym. Merc. 417. Sol. 4, 38.

v. σκυλεύω ut ab Homero alienum est, ita apud eundem frequentia maxime floret alterum ἐναρίζω. Extat illud primum apud Hesiodum Sc. 468, usu quidem nihil a vulgari ratione discrepans, verum suspectum Hermanno. At nimirum aetas huius loci ponderanda est non ita vetusta. Nisi forte in eo magis offendendum est, quod etiam proxima literarum saecula exemplis plane

---

[1]) verbum λυπεῖσθαι omnes codices (etiam *K* et *O*) tenent praeter *A*. vid. Bergk. in adn.

vacant usque ad Herodoti tempora qui hoc verbum habet I, 82. IX, 80.

v. *τάσσω* quod cum tota eius progenie deest in Homero primum comparet apud Hesiodum in composito *διατάσσω*, ita quidem ut quasi in patrimonium Homerici *τεκμαίρεσθαι* irrumpere videatur. Qua ipsa vice functum dicitur et in Th. 74 et in Op. 276 de constitutionibus sempiternis, quibus Iupiter rerum et divinarum et humanarum ordinem sanxerit. Verum huius quoque verbi usus aliquanto serius inveteravisse putandus est, si quid concludere licet in hac fragmentorum exiguitate et paucitate. Primus habet post Hesiodum Pindarus Ol. II, 54., Aeschylus quindecies, septies Herodotus.

Denique possunt haec addi quae saltem obiter commemorem:

Substantiva: *ἰσχὺς* Th. 146. 153. 823. (Hom. *ἴς*, *μένος*, *ἀλκὴ*, *σθένος* etc.) cf. Sol. 27, 8. — *καιρὸς* Op. 694. (Hom. *καίριος*) et *παρακαίριως* Op. 329. cf. Theogn. 199. 401. — *μελέτη* Op. 380. 412. 457. et *μελετάω* Op. 316. 443. cf. Archil. 15. Theogn. 924. Phocyl. 7, 1. — *πίστις* Op. 372 (Hom. *πιστὰ* λ 456 cf. Nitzsch. III, 277) et ibid. *ἀπιστίη*. cf. Theogn. 64. — *τύχη* pro nom. propr. Th. 360; cf. schol. Hom. V ad Δ 106. (Hom. *μοῖρα*) et Archil. 16. Alcm. 62.

adiectiva: *ἄφθονος* Op. 118 (Hom. *φθονέω*) cf. Sol. 33, 5. 38, 5. — *βαιὸς* Op. 418 cf. Sol. 9, 1. — *εὐδαίμων* (Hom. *ὀλβιοδαίμων* Γ 182) Op. 826. cf. Theogn. 653. 1013. — *σκληρὸς* Th. 839. cf. Theogn. 1194.

verba: *μαυρόω* Op. 325. cf. Theogn. 192. — *ψιλόω* Fr. XLII, 3. cf. Herod. IV, 26. 61. — de verbo *γηρύομαι* vide Thiersch. l. l. sub b.

CAPUT II.

DE VOCABULIS NOTIONE AB HOMERO DISCREPANTIBUS.

Pergimus ad alterum illud vocabulorum genus, in quo non nisi usus quaedam differentia cernitur. Nam hoc quoque nomine quot quantisque mutationibus lingua perpetuo obnoxia sit nemo ignorat. Sunt in quibus notio amplificetur. Atque inveniuntur in hoc numero plurima quae a significatione rei ad sensus spectantis ad aliam deflexerint magis generalem et ut barbare cum philosophis loquar abstractam. Rursus alia sunt quae si Homerum comparas usum exhibeant arctioribus finibus circumscriptum. In quo fit saepe, ut ex integra vocis notione particula separetur quae reliquis superior exit ex quaque recentiores significationes sic proficiscuntur, velut in anulo singulae sese partes excipiunt.

Atque a substantivis quoniam ordiendum est,

v. *αἶνος* iam apud Homerum non solum notionem laudis continet, sed usurpatur etiam ad significandum certum aliquod genus narrationis, istiusmodi quidem quae consulto fingatur in quaque sensus lateat ulterior. Nam sic interpretandus est locus Odysseae ξ 459—502 (cf. Buttmannum in Lexilog. II, 101.). Verum non quadrat in Homerum explicatio vocis ab Ammonio Lex. p. 6 ed. Valck. proposita propter adiectam accuratiorem definitionem *ἀπὸ ἀλόγων ζώων ἢ φυτῶν*, quadrat autem in *αἶνον* illum Hesiodeum insertum Operibus et D. v. 202 sq. Cuius ita instituit poëta rationem, ut cum castigare velit iudicum iniuriam colloquentes faciat inter se lusciniam

et accipitrem. Excoluit hanc dicendi figuram, quam proprie *αἶνον* vocari Ammonius l. l. monet, praecipue Archilochus in epodis ex quibus huc spectant fr. 86 et 89.

v. *βίος* apud Homerum[1]) nonnisi pro »vita« dicitur. Atque hanc quidem significationem bis habet Hesiodus Fr. CLXXII, 1 et 4. Ex qua derivata est altera, ut sit »victus, res familiaris«, quae non solum nova sed eadem etiam satis frequens apparet in Operibus et Diebus (v. 31. 42. 232. 316. 577. 601. 634. 689.). Et congruit cum Hesiodo Archilochus 56, 5. Cf. praeterea Sim. A. 7, 85. Sol. 13, 72. Theogn. 228 saep.

v. *δαίμων* cum apud Homerum fere idem valeat quod v. *θεὸς* primum apud Hesiodum usurpatum inveniri ad designandum certum illud animantium genus, cuius quasi divisa credebatur esse natura inter deos et homines cuique hoc nomen tamquam proprium convenit in lingua posteriore, observatum iam est a Thierschio l. l. Nota 9 et a Schoemanno opusc. II, 318. Continetur autem nova haec de daemonibus doctrina hoc Operum loco v. 122 sq.; ubi et origo et officia illorum brevi describuntur. Atque eadem vel certe similis notio in vocabulo inesse videtur Th. 991 in loco illo additicio qui incipit a v. 963. Hic enim Phaëton qui antea v. 987 dictus est *ἀνὴρ θεοῖς ἐπιείκελος*, a Venere raptus custosque templi factus esse traditur addita hac appellatione *δαίμονα δῖον*. Praeterea v. extat in Sc. 94 sensu numinis, quem etiam Homerus novit. Conferendus autem est Phocyl. 15. Pind. Ol. XIII, 148. Herod. IX, 76.

v. *δίκη* apud Homerum est »mos« sive »usus« *δ* 691 *π* 43 saep., ac sic etiam apud Hesiodum Sc. 85; porro ius sive iustitia ap. Hom. *Π* 388 *Τ* 180 saep. — ap. Hesiod.

---

1) Extat haec vox omnino nondum in Iliade quae solam *βίοτος* formam novit, in Odyssea bis; Hesiodus septies habet *βίοτος*, decies *βίος*.

Op. 9, 192, 213, 217, 272, 275, 278, 279. Fr. CCXVII. Novit Homerus etiam significatum iudicii (Rechtsspruch) Σ 508. λ 570. Et hic quidem apud Hesiodum obtinet Op. 36, 124, 219, 221, 225, 250, 254, 264; Th. 86. Obtinere eundem etiam Fr. CLXXXII. Op. 39, 124, 262 tibi persuadeas. At Op. 249 cum poëta iudices retinere studeat a iudicio iniusto quod nondum latum est, certe durum est δίκην pro iudicio accipere ita, ut supplendum sit »quod in eo est, ut feratur.« Atqui eandem hanc interpretationem quominus conferas ad Op. 269, sensus prohibet; nam iudicium nondum latum quam perverse diceretur πόλις ἐέργειν! Nimirum confitendum est aliam his locis contineri vocabuli potestatem qua est causa, controversia. Quae ut ab Homero aliena est (cf. Ameis. append. II, 72), ita nova existit in Hesiodo. Cf. ex reliquis hym. Merc. 312. Theogn. 544.

v. ἔμπορος quod bis extat apud Homerum β 319 et ω 300[1]) recte Dammius interpretatur »vector in aliena navi«. Hinc quod derivatum est abstractum ἐμπορίη apud Homerum non invenitur, atque apud Hesiodum ubi legitur Op. 646, cum sermo sit de quaestu per navigationem acquirendo, non dubium est quin notio vulgaris agnoscenda sit qua est mercatura. Cf. Sim. A. 16, 2. Theogn. 1166.

v. ἦθος bis legitur apud Homerum, significat autem »sedes consuetae« neque usurpatur nisi de animalibus, de equis Ζ 511 = Ο 268, de suibus ξ 411. Atque idem valet apud Hesiodum Op. 525, ubi de polypi humido domicilio dicitur, neque differt significatus in Op. 137 et 222, nisi quod ad homines translatum est. Th. 66 utrum de domiciliis an de naturis deorum accipiendum sit, ambigitur; attamen alteri huic interpretationi et sententia et epitheton voci inditum κεδνά (cf. Op. 699) favent.

---

1) vide de hoc loco Spohn. de extr. parte Odysseae p. 186.

Etenim recentior haec significatio qua v. est »consuetudo, indoles animi, mores«[1]) sicut in Homero nondum comparet praeter in verbo ἀηθέσσω semel *K* 493 usurpato, quod vel contra normam derivatum esse recte monuit Geppertius[2]), ita certa satisque stabilita est in sermone Hesiodeo qui ter eam habet in Operibus et D. Ac dictum est v. 67 et v. 78 de callida animi indole quae quasi insita innataque sit generi muliebri, v. 699 de moribus castis qui decent mulierem integram (κύνεον νόον καὶ ἐπίκλοπον ἦθος v. 67 = 78 — ἤθεα κεδνὰ v. 699). Post Hesiodum qui primus isque frequentissime hoc sensu vocem usurpavit invenio Theognidem 213. 965. 967. 970. 1244. 1261. 1302, cf. praeterea adiectiv. εὐήθης ap. Archil. 18, 2.

v. ἥρως Homerus cum ad significandum quemvis virum fortem insignemque virtute utitur tum praecipue sic appellantur reges et principes. Hesiodus ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος fingit tamquam genus inter deos et homines medium, quos etiam ἡμιθέους appellari distincte ait; cf. imprimis Op. 156 sq. Praeterea hoc v. usurpatur Th. 970 de Iasio, 1009 de Anchisa; Sc. 19 de Taphiis, 37 de Amphitryone, 78 = 118 de Iolao; in quibus omnibus vocem ad recentiorem illum modum intellegendum esse res ipsa docet. Quem usum eo magis stabilitum esse quo longius distabat saeculum Homericum naturae consentaneum est. Cf. prae ceteris Alcman. 16 p. I[3]). Ceterum cf. de h. v. Thiersch. l. l. p. 9.

---

1) Deducta est ex pristina »locus ad commemorandum consuetus« prorsus ad similitudinem nostri »Sitz — Sitte«, cf. Buttm. Lexilog. I p. 276.

2) Ueber den Ursprung der hom. Gesänge, Leipzig 1840 II, S. 47.

3) Totus hic locus cum versetur in clade Hippocoontidarum quos a Dioscuris occisos esse poëta praedicat, illos non obscurum est his verbis intellegi: ἄλλως τε τὼς ἀρίστως ἥρωας παρήσομες.

v. νέμεσις ap. Hom. est iusta vel indignatio vel reprehensio, deinde id quod dignum est indignatione sive r., tertium unus est locus Ν 122, in quo notionem ut ita dicam subiectivam eo contineri ipsumque pro »pudore reprehensionis« accipiendum esse sensus arguit[1]). Atque hunc quidem usum imitatus est Hesiodus qui Op. 200 prorsus eundem in modum vv. αἰδὼς et νέμεσις inter se iuncta habet. Iam vero longius ab usu antiquo discedit alter quo v. legitur locus Hesiodeus Th. 233; ubi cum reliquae notiones iuxta positae (Μοῖραι, Κῆρες, similes) tum appositio ipsi tributa (πῆμα θνητοῖσι βροτοῖσι) me movent, ut vulgarem recentioris temporis significationem hic in v. sentiri mihi persuadeam qua usurpatur de deorum invidia et ultione[2]). Quam etiam expressiorem habet Theogn. 1182 et 280.

v. φόβος ubique ap. Hom. fugiendi, nusquam timendi notionem tenere observatum est ab Aristarcho cf. Lehrs. p. 75. Apud Hesiodum quod v. ter (Th. 934. Sc. 195. 463) in formula Homerica (Δ 440) Φόβος καὶ Δεῖμος, semel (Sc. 155) cum Ὅμαδος iunctum apparet, de significatu qui iudicandum sit incertum esse debet. Sed tamen latius eum promotum fuisse saeculo Hesiodi duo arguunt loci qui extant in Scuto 144 et 237. Nam in priore quidem cum imagines in scuto effictas descripturus poëta sic incipit: ἐν μέσσῳ δὲ δράκοντος ἔην φόβος, in hoc vix verendum est ne quis de fuga cogitandum censeat; intellegitur horror quem aspectus draconis excitat. Difficilior alter est locus Sc. 237; in quo tamen siquidem verba μέγας φόβος ad imaginem versibus proxime sequentibus descriptam spectare exploratum est, ne hic quidem de fuga sermo est; interpreteris autem

---

1) Nisi cui Fäsii interpretatio probetur paullo artificiosior.

2) Apud Hom. hoc sensu usitatum est v. ὄπις quod ne in Hesiodo quidem deest (cf. Th. 222. Op. 187. 251. 706).

v. fortasse per »spectaculum horribile.« Distinctius a notione fugiendi separatum extat v. apud Tyrt. 10, 16; ac plane vulgaris usus conspicitur in Archil. 54, 3.

v. *χρῆμα* quod cum in Iliade omnino desit, in Odyssea quaterdecies extat, apud Homerum significat »res quibus utimur«, »opes«, unde fit ut non nisi numero plurali apud eum legatur. Et sic usurpatum est apud Hesiodum Op. 320. 407. 605. 686. Iam vero incognita Homero ea vocabuli significatio est qua universe notat »res« ac fere idem valet quod Homericum *ἔργον* *A* 294 saep. et recentius *πρᾶγμα*. Hanc enim interpretationem exigit in Op. 402; immo abiit etiam in significationem »casus« in Op. 344. Cf. Archil. 79, 1. Sim. A. 6, 1. Mimn. 8, 2. Sol. 13. 66.

Ut transeam ad adiectiva,

v. *ἁπαλὸς* de cuius origine non prorsus constat inter vv. dd. (cf. Doederl. Gloss. § 344 et Curtius G. d. E. II, 52) apud Homerum usurpatur de vigentibus nervosisque corporis membris. Cui ut accommodari possit usus Hesiodi in Th. 3, ubi Musarum saltantium pedes sic appellantur (cf. *Τ* 92) et in Sc. 279, ubi iuvenes hymenaeum canentes dicuntur vocem tollere *ἐξ ἁπαλῶν στομάτων*[1]), restat locus qui extat Op. 519. Hic enim quod virgini tempore hiemali non sub divo ambulanti sed in penetralibus aedium commoranti epitheton *ἁπαλόχροος* tributum est, in hoc non dubito quin vulgaris vocabuli sensus lateat, qua est »tener, mollis«. Convenit prorsus cum hoc loco Hesiodeo Archil. fr. 100. Cf. praeterea Sapph. 46 et 54.

v. *ἐχθρὸς* ap. Hom. ubique notionem passivam tenet ut sit »odiosus« et construitur cum dativo. A quo

---

1) Etenim praestat adiectivum ad vigorem orum iuvenilium referre neque opus est Goettlingii interpretatione artis subtilitatem qua ora hominum facta fuerint, hic intellegi censentis.

non differt Hesiodus in Th. 766; differt vero in Op. 342, ubi pro »inimico« v. esse tam articulus nomini subiectus quam opposita amici (φιλέοντα) notio indicat. Simillima est ratio loci qui extat ap. Sol. 13, 5. Cf. etiam Arch. 66, 3 et Theogn. 92. 562. 575 saep.

v. *μέλεος* per totum Homerum esse ἀντὶ τοῦ ματαίως non fugit Aristarchi sagacitatem cf. Lehrs. p. 94. In Hesiodo v. semel legitur Th. 563 pro epitheto hominibus mortalibus indito. In quo ut significationem recentioribus poëtis, imprimis tragicis usitatissimam »miser, infelix« inesse arbitrer, adducor hanc loci sententiam esse considerans, miserandum esse genus humanum, cui ob fatalem hanc Promethei cum Iove controversiam ignis non impertitus sit.

v. *ποικίλος* ap. Hom. est »variis coloribus vel etiam maculis distinctus« neque usurpatur nisi de rebus inanimis. Hesiodus cum proprium hunc vocis usum novit (Th. 300. Sc. 5423) tum posteriorem illum quo translate dicitur de hominibus versicoloribus sive astutis. Huc enim et simplex epitheton ποικίλος et compositum ποικιλόβουλος utrumque Prometheo attributum Th. 511—521 manifesto pertinet. Cf. Theogn. 213. 222. 224.

Adverbium

τάχα ut apud Homerum ubique adverbium temporis est (cf. Aristarchum ap. Lehrs. p. 92 sq. et Nitzsch. II, 194) ita primum apud Hesiodum Op. 401 inveniri pro »fortasse« Lehrs. A. p. 94 obiter animadvertit. Quod licet offendat paululum in poëta tantae antiquitatis, non potest tamen non comprobari locum Hesiodeum accurate contemplanti. Verba haec sunt: δὶς μὲν γὰρ καὶ τρὶς τάχα τεύξεαι κτλ. Quibus siquidem poëta fratrem socordem ad industriam compellere studet, quam inepte hoc diceret: ab aliis victum petituro vicinos non solum non negaturos, sed etiam »cito«, ergo libenter obsecuturos esse? Atque alteram si statuimus hanc vocabuli vim

obtinere, qua aliquid dubitationis in sententia inesse indicat, sensus optime quadrat; desideres tamen modum optativum cum particula *ἄν* huic loquendi rationi multo concinniorem.

Alterum adverbium *ὥστε* pro »ita ut« ab Homero alienum esse observavit Thiersch. l. l. sub c. et qui ab hoc neglectos locos Homericos in disputationem vocavit Lehrs. Arist. p. 157. Atque etiamsi quis aliter sentiat de loco Odysseae *ρ* 20, hunc ipsum non esse aevi antiquissimi Friedländer l. l. p. 773 suspicatur. Hesiodi vero temporibus paullo sollemniorem hunc usum fuisse ipsius carmina persuadent, quae in ambitu tam exiguo bis Th. 831 et Op. 44 adverbium sic usurpatum praebent, ut vice particulae consecutivae illud fungi haud incertum sit. Nam alterum quidem hunc locum *ῥηϊδίως γάρ κεν καὶ ἐπ' ἤματι ἐργάσσαιο ὥστε σέ κ' εἰς ἐνιαυτὸν ἔχειν καὶ ἀεργὸν ἐόντα* nihil a sermone attico differre quivis videt. In priore: *φθέγγονθ' ὥστε θεοῖσι συνιέμεν* (sc. *φωναὶ* Thyphoei) cuius paullo insolentior est structura (cf. Schoemann. edit. Theog. commentar. p. 242) quantumvis in vocula aliquantulum pristinae potestatis sentiri qua particula comparativa est[1]) non infitier, attamen praevalere vim consecutivam constructio infinitivi aperte declarat.

Ex numero verborum prae ceteris unum notaverim *βλάπτω*. Cuius propriam hanc esse significationem Dammius bene docet »impedio, facio ne quis procedere aut proficere possit«; ex qua per abstractionem amplior ea procreata est qua notet v. »laedere, violare«, quo postremum factum est, ut in sermone vulgari sollemne verbum sit pro generali notione nocendi. Atque illa ut Homero prope sola nota est[2]), ita eadem apud Hesiodum

---

1) ex qua quam facilis sit transitus ad alteram recte monuit Schoemannus l. l.

2) Nam *Π* 660 lectio ambigua est.

omnino non comparet. Alterius vero non solum fundamenta videmus strata esse, sed iam quodammodo florere usum. Usurpatur autem imprimis de detrimento Iustitiae illato sive iniuria, quam qui in se admittat ipsum sibi suoque generi perniciem struere Op. 283 vel graviter accusari apud Iovem Op. 258 poëta ait. Atque additum est in utroque loco obiectum (v. 283 *δίκην* — v. 258 *μὶν*). Quod licet desit hoc Operum loco v. 193 *βλάψει δ' ὁ κακὸς τὸν ἀρείονα φῶτα κτλ.* et illo Theogoniae v. 89 *λαοῖς βλαπτομένοις ἀγορῆφι*, ut universe significet damno sive detrimento afficere, vel sic eodem verbum spectare nexus arguit. Cf. Tyrtae 12, 40. Pind. Pyth. IX, 167.

Non urgeam quod verbi *ἀρκεῖν* medium primum apud Hesiodum invenitur significatu sufficiendi, quem prorsus ignorare Homerum iam Buttmannus Lexil. I sub art. 1 et II sub art. 70 animadvertendum duxit; neque enim legitur nisi in fragmento incertae aetatis CLXXXI. *ἀρκεῖσθαι παρ' ἑοῖς κτλ.* cf. Sol. 5, 1 (*ἐπαρκεῖ*)[1]).

Possum cumulare exemplorum copiam, verum reprimo stilum ad aliam disputandi materiem perrecturus.

[1]) Non differt Hesiodus ab Homero in usu adiectivi *ἄρκιος*; quod legitur apud illum Op. 349 significatu vocabuli *ὠφέλιμος* (cf. Hom. *B* 393 et *O* 502), abiit vero in Op. 368 et ibid. 499 in notionem *ἱκανὸς*, quam immerito ab Homero abiudicavit Buttmann. Lexil. II sub art. 70; cf. Hom. *K* 304 *σ* 358.

APPENDIX.

Omnis elocutio siquidem ita est comparata, ut partim eam a condicione legibusque linguae quales quoque tempore sunt partim ab indole scriptoris pendere intellegatur, illo genere iam defunctis de altero pauca adicere nobis lubet. Pertinent huc in Hesiodo quaecunque sermonem poëticum efficiunt. Quo non solum vocabulorum priscorum formularumque numerum illum frequentissimum referas quem cum Homero communem noster poëta habet, sed etiam ex eis quae ab illo discedunt multa; quae quidem utrum ab ipso inventa an aliunde hausta sint diiudicari nequit. Sunt autem haec ipsa magna ex parte istius modi, ut non nisi leviter ac tantummodo forma ab Homero deflectant. Quae ipsa ex reliquorum turba hic decerpam, quippe quae in unum locum conferri aliquantulum intersit propter notabilem in eis a Posidonio propositam sententiam. Qui a Tzetza exeges. in Hom. Iliad. p. 4 et p. 19 (ed. Herm.) traditur illud obiecisse Hesiodo, quod vocabulorum Homericorum nonnulla corruperit [1]; cuius rei duo haec afferuntur exempla: *Ἰλέα* pro *Ὀϊλέα* atque *ἤδυμον* pro *νήδυμον* [2]) dictum. Et

---

1) p. 4 *ὥσπερ καὶ Ποσειδώνιος ὁ Ἀπολλωνιάδης ὁ τῷ Ἡσιόδῳ μέμφιν ἐπάγων ὡς παραφθείραντί τινας τῶν Ὁμήρου λέξεων τὸν Ὀϊλέα Ἰλέα εἰπόντι καὶ τὸν νήδυμον ἤδυμον καὶ ἄλλα ἄττα τοιαῦτα κτλ.* p. 19: *καὶ τοῦ Ποσειδωνίου — λέγοντος αὐτὸν τὸν Ἡσίοδον ὕστερον γενόμενον πολλὰ παραφθεῖραι τῶν Ὁμήρου ἐπῶν κτλ.*

2) quod ubique in Homero tuendum esse contra Simonidem vocis *ἤδυμος* lectionem poëtae ingerentem Aristarchus affirmavit ad *B* 2 (cf. Sengebusch. diss. Hom. I p. 169 et Lehrs. p. 152).

illud quod ex quodam etymologiae studio redundavisse ipse locus quo legitur vocabulum Fr. LXXVII, 1 aperte arguit, vix dubium est quin ipsius nostri poëtae inventioni debeatur, cuius quam propria sit haec ratio in originem nominum inquirendi notum est. Alterum v. ἥδυμος, quod olim in Hesiodo lectum esse Posidonius testis est, utrum per paragogen ἀπὸ τοῦ ἡδὺς an perperam intellecto vocabulo Homerico ἀπὸ τοῦ νήδυμος ductum sit, aeque inter antiquos grammaticos (cf. Etym. M. p. 420, 47) atque inter recentiores (cf. Buttm. Lex. I, 179 et Nägelsbach. ad Iliad. II, 2) controversia est. Faveat illorum sententiae quod non singulariter neque apud unum Hesiodum haec forma legitur, sed eadem extat in hym. Merc. 241 et 449 (cf. hym. XIX, 16 Baumeist.) et aliis aliquot locis quos v. ap. Buttmann. l. l. Sed tamen alterum ut statuamus persimilis utriusque vocabuli cum conformatio tum usus inducit.

Iam vero reliqua quae in hunc numerum referantur indagantibus seorsum primum ea ponenda sunt, in quibus epicam formam cum vulgari commutatam esse supra observavimus[1]). Quibus haud scio an hoc quoque vocubulum adnumerandum sit: ἀτμή Th. 862 (Hom. ἀϋτμή) quod postea abiit in ἀτμὸς, licet ipsum non nisi apud epicos extet (cf. Kochly ad Quint. Smyrn. II, 224). Contra reliquias antiquae linguae recte has censet esse Buttmannus Ausführl. Grammat. II, 404 (cf. I, 213): δὼς Op. 356 (cf. χρώς); ibid. ἅρπαξ (cf. φρίξ); γλαφὺ Op. 533 neutrum adiectivi γλαφὺς (cf. λιγύς). Ad dialectum autem quae spectant collata sunt ab Ahrensio in comment. s. l.[2]); terrae Boeoticae propria haec esse Goettlingius suspicatur: γεήοχος Th. 15 et εἰρέω Th. 38.

Verum ab ipso poëta ficta quoniam non nisi ea

1) v. supra p. 14 et 15.
2) v. supra p. 5.

possunt esse in quibus oratio poëtica cernitur, illuc quae trahi fas sit haec reperi:

Substantiva:

ἀδροσύνη †[1]) Op. 437 poëtice variatum ex Homerico ἀδροτής.

δμῶος † Op. 470 nominativus ad similitudinem vocis Τρῶος pro Τρὼς derivatus a genitivo vocabuli δμώς; cf. Etym. M. p. 770, 35 et Choeróbusc. ap. Beck. Anecd. p. 1181.

λοχεὸς † Th. 178 pro λόχος propter πλεονασμὸν τοῦ ε a schol. Hom. *A* ad *Ψ* 160 confertur cum voce Homerica κηδεὸς, quae tamen vereor ne alius rationis sit. Rectius in scholiis ad hunc Hesiodi locum Aristonicus v. θυρεὸς comparavisse traditur, de quo v. Lehrs. Arist. p. 6.

μακέλη Op. 470 pro Hom. μάκελλα mutata vocabuli prosodia praeter Hesiodum habet Apoll. Rhod. IV, 1533. Theocr. XVI, 32. Arat. 8.

μελεδὼν pro Hom. μελεδώνη, si recte legitur Op. 66 μελεδῶνας. Quamquam in ipsa hac forma si quis ad instar locorum quos Förstemannus de dialect. Hes. p. 13 enumeravit accusativum doricum latere velit, ei non video quid adversetur.

ὕδος Op. 61 forma poëtica pro ὕδωρ aliquanto saepius invenitur, imprimis apud poëtas epicos.

Adiectiva:

ἄἄτος † Th. 714 pro Hom. ἆτος (cf. ἄᾶται Sc. 101) singulare diaereseos exemplum est propter correptionem alterius eiusque radicalis α, quod iam Buttmannum movit, ut locum Hesiodeum pro suspecto haberet Lexil. I, 218.

ἀείδελος Fr. XCVI pro Hom. ἀίδηλος similiter atque ἀπερείσιος pro ἀπειρέσιος ita formatum esse, ut syl-

---

1) usus sum hoc signo ad distinguenda ea vocabula quae solum apud Hesiodum leguntur.

labae duae vicinae quantitatem inter se commutent, idem vir illustris monuit Lexil. I, 247. Cf. etiam Etym. M. 21, 19.

αἱμύλος Op. 374 et *κέρτομος* Op. 788 quod idem legitur hym. Merc. 338 pro Homericis *αἱμύλιος* et *κερτόμιος* non nisi rationis metricae variationem exhibent, istius quidem generis ut formae hexametro commodiores substituantur pro vulgaribus; cf. de v. *ἥσυχος* supra p. 15.

ἀλγινόεις Th. 214. 226. pro Hom. *ἀλεγεινὸς* non caret analogia; cf. vocem Hom. *ἀργινόεις* quae est a stirpe *APΓ*.

ἀπάλαμος Op. 20 pro Hom. *ἀπάλαμνος* productam *α* priv. habet perinde ac vv. Hom. *ἀθάνατος*, *ἀκάματος* al.

ἀπείριτος Th. 109. 878. Sc. 204. forma decurtata pro Hom. *ἀπειρέσιος* non nisi propterea memorabilis est quod eadem et in Odysseae loco recentioris originis *κ* 195 et in hym. Ven. 120 legitur.

ἀρτιέπειαι Th. 29 et *ἡδυέπειαι* Th. 965 et 1020 pro Hom. *ἀρτιεπὴς* et *ἡδυεπὴς* ex numero illorum adiectivorum sunt, quae solam terminationem femininam formant; de quibus v. Becker sched. Hom. p. 310.

δαίμων Op. 314 non pro »deus« accipiendum, quod Proculus hariolatur, verum pro Hom. *δαήμων* dictum esse cum sententia loci Hesiodei vindicat tum confirmat fragmentum Archilocheum 4. 4, in quo neque a codicum scriptura neque ab interpretatione quidquam ambigui v. *δαίμονες* habere quivis videt. Ac locum Platonis Cratyl. p. 398 *B* et Hesych. s. v. *δαίμων* si intueor, hanc quoque vocem non prorsus absurdum esse duco istinc derivare, ut de vocabuli *δαίμων* quod est »deus« etymologia sententiam suam poëta declarare voluerit. Nisi forte simplicius in eo acquiescendum est pertinere hanc formam ad universum genus contractionis quod aliquanto latius in Hesiodo patere quam in Homero supra [1]) a nobis animadversum est.

---

1) v. supra p. 14.

διόγνητος † Sc. 340 pro Hom. *διογενὴς* per syncopen ortum est ex *διογένητος*.

κύδιμος Th. 938 vocabulum hymno in Mercurium perquam usitatum in locum Homerici *κυδάλιμος* successit ita, ut abiecta terminatione *αλιμος* breviorem eamque sollemniorem *ιμος* induerit, quae comparet in vv. *φαίδιμος ἄλκιμος* al.

νηλειὴς Th. 770 (cf. hym. Ven. 246) pro Hom. *νηλεὴς* sive *νηλὴς* pro collocatione quam in versu tenet non nisi ex necessitate metri derivandum est.

χρυσάωρ Op. 771 (cf. hym. Ap. Del. 123) altera eaque strictior forma est pro simpliciore Hom. *χρυσάορος*.

Verba:

ἀλεύομαι pro Hom. *ἀλέομαι* a cuius aoristo II *ἠλευάμην* ipsum derivatum est cum apud Homerum semel eoque satis recenti loco extet *ω* 29, idem apud Hesiodum in locis nulla a parte suspectis legitur Op. 535 (*ἀλευόμενοι*) et Op. 760 (*ὑπαλεύεο*).

ἀλιτραίνω Op. 241 et 330[1]) pro Hom. *ἀλιτέσθαι* ductum est ab adiectivo Hom. *ἀλιτρός*.

Addenda haec sunt:

ἀμφαγαπάω Op. 58 (cf. hym. Cer. 439) pro Hom. *ἀμφαγαπάζω*,

ἀμφαραβίζω Sc. 64 pro Hom. *ἀμφαραβέω*,

διδασκέω Op. 63 (cf. hym. Cer. 144) pro vulgari eoque Homerico *διδάσκω*,

ἐπαυρέω † Op. 419 forma paulo memorabilior quod derivata est ab aoristo II *ἐπαῦρον* Homerico,

θυνέω † verbum Scuti Hesiodei proprium (v. 156. 210. 257. 286.) ductum ab Hom. *θύνω*,

κορθύνω † Th. 853 pro Hom. *κορθύω*,

ὀνοτάζω Op. 258 (cf. hym. Merc. 30) rarior forma pro Hom. *ὄνομαι*.

---

1) Nisi hoc loco rectius *ἀλιταίνεται* legitur praesens et ipsum Homero incognitum.

Ut omnia complectar, sunt in hoc genere quae non nisi exempla varietatis dicendique copiae illius mirum quantae sese praestent quae cum universae linguae Graecae tum sermonis epici propria est. Verum digniora commemoratione ea sunt quibus si comparas vocabula Homerica forma aut decurtata aut certe derivata continetur; quae etiamsi non omnia corruptionis attamen originis recentioris notam prae se ferre concedemus.

Iam si licet illud Posidonii dictum etiam ad ea referre quae non tam conformatione quam usu insignia sunt, inveniuntur quaedam in prisco hoc genere vocabulorum isto modo ab Homero declinantia, ut magis in eis depravatio quam progressus significationis cernatur.

Sic substantivum ὄσσα cum apud Homerum ubique famae sive rumoris notionem teneat (cf. Buttm. Lex. I, 22 sq. et Nitzsch. E. A. z. O. I, 51), apud Hesiodum ad significandum quodvis vocis sive soni genus delapsum nunc de cantu Musarum (Th. 10 et 43), nunc de certantium clamore (Th. 701), nunc de mugitu tauri (Th. 832) dicitur.

Ex adiectivis haec nescio an alicuius momenti sint: ἀθέσφατος ut proprie est »quod nedeum quidem verbo reddere fas est«, ita plerumque apud Homerum non usurpatur nisi de rebus quibus ex aliqua parte metus sive horror adhaeret (cf. Buttmann. Lex. I, 158). Et sic quoque Hesiodus Th. 830 de multiplici voce centicipitis Thyphoci. Atqui pristinus hic significatus cum in posterioribus Odysseae partibus (ν 244 υ 211) obliterari coeptus est ita, ut abierit v. in notionem magis generalem »immensus«, tum vero penitus extinctus est in Hesiodi Op. 662 ἀθέσφατον ὕμνον, quod de abundanti canendi facultate quam Musae poëtam docuerint intellegendum esse nexus prodit.

ἀΐδηλος apud Homerum ubique esse »exitialis, perniciosus« Buttmannus Lex. I, 234 demonstravit. Atque idem v. apud Hesiodum expressam eam significationem

habet quae est vocabuli ἄδηλος Op. 756. Fr. XCVI (ἀεί-δελος).

αἰθαλόεις apud Homerum ubique est fumo sive fuligine foedus Β 415 Σ 23 Χ 339 ω 316. Apud Hesiodum quod constanter fulmini attributum extat Th. 72. 504. 707. 854., non dubium est quin fulgoris sive ardoris notionem teneat accommodatam illam ad significatum verbi αἴθειν.

ἀπειρέσιος quo v. Homerus ut par est non nisi pro epitheto rerum sive magnitudine sive multitudine eminentium utitur, apud Hesiodum ἐπὶ τοῦ κατὰ τὸ εἶδος διαφέροντος καὶ ἄγαν καλοῦ positum esse iam Porphyrius in schol. Ven. ad Ξ 200 observatione dignum existimavit. Locus est Eoearum Fr. LVIII, 3, ubi verbis ἀπειρέσιον κατὰ εἶδος causa indicatur cur tantum procorum concursum excitaverit Demodoce Agenoris filia.

δυςηλεγὴς apud Homerum est »male cubare faciens«, unde non nisi aut mortis aut belli notioni subiunctum apparet. Ac vetusta haec vocis potestas quanto opere attenuata est apud Hesiodum qui eandem tanquam cognomentum pruinae indit Op. 506!

ἠλίβατος quod apud Homerum constanter significatu excelsi sive ardui invenitur usuque ad v. πέτρη astrictum est (cf. Buttm. Lex. II, 161) sensum latiorem induisse videtur apud Hesiod. Th. 483; quo loco quod spelunca sic appellatur, notionem profundi subesse apertum est.

πολιὸς si proprie et antiquitus est »canus« (Curtius G. d. E. I p. 236), qua quidem cum explicatione optime congruit usus vocabuli Homericus, offendere debet, quod Hesiodus eodem hoc v. utitur pro epitheto veris Op. 477 et 492 florum ut videtur colorem significans.

Ex numero eorum quibus non tam significatus mutatio quam translatio continetur tantum v. χρυσάμπυξ

commemorem, apud Homerum equorum, apud Hesiodum Musarum epitheton Th. 916.

Adverbium τῆμος cum apud Homerum ubique alii particulae respondeat, apud Hesiodum absolute positum est Op. 554 et 668; cf. hym. Merc. 109.

Denique ex verbis maxime memorabilia sunt

ἀπαυράω Op. 240 hoc sensu positum, ut plane mutavisse videatur locum cum verbo ἐπαυρεῖν sive ἐπαύρεσθαι Homerico atque alterum ἐλεφαίρομαι, quod cum apud Homerum pro etymo sit »spe vana decipere«, in generalem perdendi sive perniciem struendi notionem abiit apud Hesiod. Th. 330, ubi de leone Nemeo dicitur: οἰκείων ἐλεφαίρετο φῦλ' ἀνθρώπων.

Ac non solum vocabula, sed etiam locutiones loquendique formulae istius generis inveniuntur quae iure pro indiciis obsolescentis vel certe senescentis sermonis Homerici habeantur. Sic Homericum νόσφιν atque alterum ἄτερ in unam hanc dicendi rationem coaluit νόσφιν ἄτερ, quae ter apud Hesiodum extat Op. 91. 113. Sc. 15. Nec minus simplicem formulam Homericam βίη Ἡρακληείη mirum in modum exaggeravit Hesiodus abundanter voce ἴς praemissa, ut hoc monstrum dictionis prodierit: ἴς — βίης Ἡρακληείης Th. 532.

Alia cum accurate ad exemplar Homeri expressa sint usu differunt. Pertinet huc formula τέκνα θεάων bis apud Hesiodum (Th. 240 et 366) isto modo usurpata, ut obscurata propria vi fere idem eam valere quod simplex θεαὶ a Goettlingio recte animadversum sit ad Th. 240. — Porro quod Th. 284 Pegasum ad sedem deorum ascensurum terram deseruisse narratur, huic cognomentum μήτηρ μήλων inditum interpretes vexat. Et sane mirus in hoc cernitur abusus formulae Homericae quam apud Homerum tantum in terris ob pecorum multitudinem insignibus locum tenere velut Itone ac Phthia in Thessalia, Pylo, Thracia Β 696 Ι 475 Λ 222 ο 226 recte Schoe-

mannus observavit opusc. II, 402. Quare eo refugit idem vir clarissimus, ut quod *μῆλα* a quibusdam omne genus quadrupedum, non tantum pecora dicta esse Hesychius s. v. aliique testantur, id in Hesiodum cadere suspicetur. Cui vereor ne ipse vocabuli *μῆλα* usus Hesiodeus refragetur astrictus ille pariter atque apud Homerum ad notionem pecorum tantum minorum, ovium et caprarum; cf. Op. 120. 163. imprimis 786. 795. Fr. LXXX, 2. — Atque item non dubito quin iudicandum sit de dictione *ἀνδρῶν δῆμόν τε πόλιν τε* Op. 527; quae ut apte proprioque verborum sensu apud Hom. λ 14 usurpatur de Cimmeriorum domiciliis, ita in hoc loco Hesiodeo non videtur cum Goettlingio de certae urbis notione cogitandum esse, sed statuendum potius illud *πόλιν τε* tantum formulae gratia adiectum esse. — Trahas huc etiam formulae *ἤματι κείνῳ* illum abusum qui obtinet Th. 836, de quo vide Schoemannum opusc. II, 353 disputantem.

Denique quod ad universam orationis conformationem attinet, idem in Hesiodo atque in Homero illud structurae genus florere quo singulae et partes enunciationum et ipsae enunciationes magis externis vinculis, dico particulis, quam interna ratione connectuntur et altera alteri subiciuntur nemo mirabitur qui etiam in Herodoto hanc elocutionis simplicitatem conspici reputaverit. Atqui ab hac iam Hesiodum nonnunquam desciscere et tanquam delibare videtur concisiorem quandam artificiosioremque dicendi rationem velut hoc Operum loco (v. 89) *αὐτὰρ ὃ δεξάμενος, ὅτε δὴ κακὸν εἶχ', ἐνόησε,* vel quod in exitu Scuti legitur: *τῶς γάρ μιν Ἀπόλλων Λητοΐδης ἤνωξ', ὅτι ῥα κλειτὰς ἑκατόμβας ὅστις ἄγοι Πυθώδε βίῃ σύλασκε δοκεύων.* Sunt quaedam alia in Theogonia parum concinne dicta quos tanquam lapsus sermonis epici invalescentisque novi eloquendi generis indicia deprehendisse sibi visus est Welcker in praef. editionis Theogoniae Hesiodeae p. 73. Atque huc nescio

an illud quoque referendum sit, quod cum Homerus pro natura epici sermonis defugiat orationem quae vocatur obliqua, Hesiodus interdum hanc elocutionis formam praetulit, ubi vel maxime copiosius dicendi occasio data erat. Vide imprimis Th. 393 sq. et 628 sq.; Op. 86 sq. atque 60 sq., in quo quidem loco ancipitem inter antiquam et recentiorem normam poëtam haerere et quodammodo ipsum secum discordem esse mox (v. 69) secuta formula ὣς ἔφαθ' arguit.